

devotae fidelitatis armatus, volens potius post mortem vivere per famae gloriam, quam tergum hostilitati huiusmodi vertere, se obiecit, et ibi sonis bellicis utrinque hostiliter perflatis, acerbissime praeliavit; quod quidem praelium etiam apud Troianos fortissimos potuisset decentissime commendari. Sed quid plura; ille siquidem supremus opifex, qui fidelibus dextram praebet, et iustis auxilii sui commodum procul ponere non novit, victoriam memorato Stephano Wayvodae ab hostibus desideratam digne praebuit reportare; ubi superbi perierunt, fortes et bellicosi corruerunt, et infideles, quorum non est numerus, languidi iacuerunt lethalis gehennae gustantes potum marcescibilem perempniter et in aevum. In quo quidem ingenti praelio praefatus Stephanus Wayvoda leonino accinctus robore, quam plures Magnates, Barones et potiores milites partis adversae triumphaliter captivavit, partem adversam penitus debellando. Deinde idem Stephanus Wayvoda solitae fidelitatis insistens fervori, quam plures validissimas ipsius Ludovici expeditiones multifarie multisque modis debellavit, et civitates plurimas expugnavit, ac gravia et horrenda personarum pericula eidem Ludovico adhaerentibus irrogavit, ut certa relatio nobis haec omnia patefecit; sicque potiores et nobiliores ipsius regni nostri Siciliae magnates et milites ad fidei nostrae cultum adduxit, et nostris servitiis applicavit. Nos igitur attendentes praedicti Stephani Wojvodae huiusmodi fidelitates, et praeclara servitiorum multa laude digna merita, pro quibus licet plura et maiora mereretur, in aliqualem tamen recompensationem fidelissimorum servitiorum suorum, de nostra regia auctoritate, et beneplacito, conuiuentia et consensu serenissimae Principissae, Dominae Elisabeth, reginae Hungariae, Genitricis nostrae charissimae, et Domini Stephani, totius Sclavoniae, Croatiae et Dalmatiae Ducis, fratris nostri dulcissimi, et de consilio et consulto Praelatorum, Baronumque nostrorum praematurum, castra nostra Oztrogo et Chiaktornia vocata, inter fluvios Dravae et Mura existentia, quae olim per Teutonicos Australes, serenissimi Principis Domini Stephani, quondam regis Hungariae, pia memoriae, avi nostri charissimi, potentialiter et per vim occupata, et usque ad praedicti Patris nostri adeptionis sui regni gubernaculum detenta fuerant, et demum ipso patre nostro praedicti sui regni pleno feliciter adepto gubernaculo, quamvis idem Pater noster charissimus, iuxta Maiestatis suae voluntatem moto exercitu suo validissimo, potentiae suae viribus, suis manibus eadem potuisset applicare; ne tamen inter Hungariae et Austriae Christianissima regna indicibile necis periculum et sanguinis tanquam fluvialis inundatio oriatur; per ipsum charissimum patrem nostrum solutis quattuor millibus marcarum fini argenti pecuniis quantitate, ad manus ipsius Patris nostri devoluta, ne per nos hactenus habita ac possessa fuerant, de nostris regalibus manibus, tamquam propria nostra, cum omnibus eorum utilitatibus, videlicet villis populosis et desertis, Ecclesiis et capellis in eisdem habitis et constructis, vineis, silvis, nemoribus, rubetis, fluviis, piscinis, piscaturis, terris arabilibus, fimatis et campatribus, molendinis, habitis et habendis tributis, redditibus, iuribus, fructibus et usibus, in superficie possessionum et villarum ad dicta castra pertinentium existentibus universis, prout ipsa duo fluvia Drava et Mura circumdant et ambiunt, salva solummodo possessione Joannis, dicti Chuz, ibidem ipsum contingenti remanente, praedicto Stephano Wojvodae, et per eum Dyonisio, Magistro Agazonum nostrorum, Nicolao, Emerico, Stephano et Ladislao filiis suis, et eorum heredibus, heredumque suorum successoribus ac posteritatibus ipsorum universis,